



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 443/21

POLONIAE

Beatam Nataliam Tułasiewicz, martyrem, quae munus magistrae explens de evangelizationis navitate sollicita, summo etiam studio Christum proclamabat “sanctitatem pro multis animis desiderans”, magistri in Polonia peculiari cultu prosequuntur.

Inde Excellentissimus Dominus Stanislaus Gądecki, Archiepiscopus Posnaniensis et Praeses Conferentiae Episcoporum Poloniae, eorum excipiens vota, electionem Beatae Nataliae Tułasiewicz, martyris, in Patronam apud Deum magistrorum in Polonia rite approbavit.

Idem vero, litteris die 9 septembris 2021 datis, enixe rogavit ut electio et approbatio huiusmodi, iuxta Normas de Patronis constituendis confirmarentur.


Congregatio porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice FRANCISCO tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque

BEATAM NATALIAM TUŁASIEWICZ, MARTYREM,
PATRONAM APUD DEUM
MAGISTRORUM IN POLONIA,

confirmat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina
Sacramentorum, die 19 ianuarii 2022.

+ 
✠ Arturus Roche
Praefectus

+ 
✠ Victoriw Franciszek Viola, O.F.M.
Archiepiscopus a Secretis